



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 108. De baptismo paruulorum, & amentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

membra ecclesie; sed per baptismum homines fiunt christiani, ac membra ecclesie; ergo sine voluntario consensu homines non possunt valide baptizari. Hinc sequitur, quod si quis simulet voluntatem internam sumendi baptismum, sed verè non habeat talem voluntatem, baptismus est inualidus. Sufficit tamen consensus virtualis, vel habitualis, vt docet sententia communis, ac certa, quæ desumitur ex Concilio Carthagineasi 3. canone 34. ex Concilio Arausicano primo, can. 12. ex capite *Maiores*, ex Augustino, & alijs. Hinc sequitur, quod si quis baptismum petierit, ac voluntatem suscipiendi baptismum non retractauerit, & sic moraliter perseueret in tali voluntate, potest validè baptizari. Ratio est, quia ad valorem baptismi sufficit, vt suscipiatur voluntariè; sed per voluntatem, virtuales, vel solum habituales suscipitur voluntariè; ergo &c. Si quis igitur petierit baptismum, ac deindè incidat in amentiam, aut lethargum, vel euadat phreneticus, potest validè baptizari, ac S. Augustinus lib. 4. confessionum, cap. 4. refert quemdam suum amicum saluum factum esse per baptismum, quem petierat, & cum esset sine vilo sensu, recepit. Sufficit etiam consensus voluntariè secundum quid, eo quod fuerit per merum, etiam iniustum extortus, vt definiuit Innocentius 3. cap. *maiores* de baptismo, & vt ante Innocentium tradiderat Concilium Toleranum 4. prout habetur capite *de Indeis* 45. distin. Ratio est, quia adhuc talis consensus est simpliciter voluntariè; sed ad valorem baptismi sufficit consensus simpliciter voluntariè, licet sit inuoluntariè secundum quid; ergo &c. Hinc inferitur, quod si quis metu mortis iniuste cogat ludæum, vel alium infidelem ad suscipiendum baptismum, ille verò consentiat interna etiam voluntate, baptismus est validus. Sufficit verò consensus baptizati sine vlla dependentia à consensu alterius: ex gr. si filius familias consentiat, validè baptizatur, licet pater sit inuitus: idemque dic de alijs.

3. Ad valorem baptismi non requiritur aliqua alia dispositio, præter voluntarium consensum, ex gr. non requiritur fides, attritio peccatorum &c. Sicut enim ad hoc, vt baptizans validè baptizet, nihil aliud requiritur, nisi vt habeat voluntatem baptizandi, ideoque etiam infidelis potest validè baptizare, sic vt adultus validè baptizetur, sufficit, vt habeat intentionem suscipiendi baptismum, ideoque etiam non credens, atque habens voluntatem actualem peccandi, potest validè baptizari; & quia baptismus nunquam validè confertur, quin imprimatur character, ideo ad recipiendum characterem sufficit voluntas suscipiendi baptismum. Ad effectum tamen primarium baptismi, idest gratiam, vltra voluntatem suscipiendi baptismum requiritur fides, attritio, & aliæ conditiones, de quibus agitur q. 109. de effectu ba-

pismi. Et quia vt baptismus suscipiatur, debet ita suscipi, vt non impediatur effectus, ideo, ad suscipiendum baptismum licet, per se, & seclusa ignorantia, requiruntur omnes aliæ conditiones, quæ sunt necessariae ad hoc, vt baptismus causet effectum gratiæ. Videri possunt quæ dicta sunt q. 109. de sacramentis in communi.

QVAESTIO CVIII.

De baptismo paruulorum, & amentium.

S. Thomas quæst. 68. art. 9. 20. 11. & 12.

1. **Q**uæritur primo, vtrum paruuli ante vsum rationis possint baptizari validè, & cum effectu gratiæ?

Respondeo, quod paruuli ante vsum rationis possunt validè baptizari, & ita, vt accipiant effectum primarium baptismi, idest gratiam, & remissionem peccati originalis. Conclusio est de fide contra aliquos hereticos antiquos, quos secuti sunt recentiores anabaptistæ, docentes baptismum paruulorum esse inualidum, adeoque eos, qui baptizati sunt ante vsum rationis, esse rebaptizandos. Hic error Anabaptistarum damnatus fuit à Concilio Tridentino sess. 7. can. 12. & can. 13. de baptismo, & can. 14. damnatus est etiam error Erasmi paraphrasi in Mattheum, qui docuerat homines baptizatos ante vsum rationis, postquam adoleuerint, esse interrogandos, an ratum habeant id, quod in catechismo ipsorum nomine promissum fuit, quod si ratum non habeant, ab Ecclesie iurisdictione liberos manere. Eandem doctrinam catholicam plura Concilia, ac plures Pontifices ante Tridentinum definierant.

2. Hæc veritas catholica, primo colligitur ex verbis Christi Matth. 19. Marci 10. & Lucæ 18. *Sinite paruulos venire ad me; talium enim regnum cœlorum;* ergo paruuli sunt capaces regni cœlorum; sed si non essent capaces baptismi, non essent capaces regni cœlorum, vt enim dicitur Ioannis 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;* ergo &c. Confirmatur ex illis locis Scripturæ, in quibus dicitur baptizati fuisse integras familias. Actorum enim dicitur; *Lydia baptizata, & domus eius;* ibidem de custode carceris dicitur; *baptizatus est ipse, & omnis domus eius;* Paulus 1. ad Corinthios dicit, *baptizauit Stephanus domum;* sed in integris familijs solent dari paruuli; ergo &c.

3. Secundo colligitur eadè veritas. Nam vt habetur in Scriptura in lege veteri circumcidebantur etiam infantes, atque in circumcissione iustificabantur; sed circumcisio erat figura baptismi; ergo baptizari possunt infantes. Confirmatur, nam alioquin infantes Christianorum essent deterioris conditionis, quam fuissent infantes ludæorum, siquidem pro-

infantibus Iudæorum dabatur remedium, pro infans christianorum non daretur remedium.

4. Tertio eadem veritas colligitur ex perpetua traditione ecclesiæ ab Apostolis accepta, quam insignes Patres omnium ætatum tradiderunt, vt videre est apud Bellarminum libro 1. de baptismo, cap. 8.

5. Quarto demum probatur ratione, quam affert S. Thomas hic art. 9. Sicut enim infantes sine proprio consensu moriuntur in Adamo, ita sine proprio consensu renasci possunt in Christo; sed baptismus est sacramentum regenerationis; ergo infantes possunt per baptismum renasci.

6. Aliqui ex hæreticis nostri temporis, quos refert Bellarminus libro 1. de baptismo cap. 10. docuerunt paruulis diuinitus accelerari vsum rationis, vt credant, ac velint baptizari, & quod sine tali voluntate non baptizarentur valide. Neque defuerunt aliqui ex catholicis, qui dixerunt, quod vt baptismus paruulorum sit validus, necessaria est voluntas parentum, vel aliorum, quorum cura sunt commissa. Dicendum nihilominus, quod ad hoc, vt infantes validè baptizentur, non requiritur vllus consensus ipsorum, vel parentum, neque aliorum. Ratio est, quia ad hoc, vt per generationem carnalem ex Adamo contrahant peccatum originale, non requiritur consensus ipsorum, vel parentum, sed sufficit consensus præstitus ab Adamo, cum quo factum fuit pactum; ergo ad regenerationem spirituales in Christo, non requiritur consensus ipsorum, sed sufficit voluntas Christi, qui fecit pactum pro ipsis infantibus. Confirmatur: nam sine vlllo fundamento asseritur infantibus accelerari vsum rationis, vt credant, & velint baptizari.

7. Quæritur secundo, vtrum expediat paruulos filios fidelium baptizare ante vsum rationis?

Respondeo, quod aliqui hæretici antiqui, & recentiores, in quorum errorem inclinat Ludouicus Viues in scholijs ad Augustinum de Ciuitate Dei lib. 1. cap. 27. docuerunt non expedire baptizare paruulos ante vsum rationis. Certum tamen est ex fide non solum licere, sed etiam expedire infantes filios Christianorum baptizare ante vsum rationis; ideoque Concilium Tridentinum sess. 7. can. 23. sub anathemate damnat eum, qui dixerit, præstare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ. Ratio est, quia paruuli per baptismum præueniuntur, ne repentinis casibus obruti perpetuò pereant, armantur contra dæmonis insidias, ac præterea disponuntur, vt firmius adhæreant Religioni christianæ; ergo præstat illos baptizare; ideoque ecclesiæ, quæ regitur à Spiritu Sancto, ab initio seruauit hanc consuetudinem baptizandi paruulos fidelium, vt colligitur ex Patribus, quos refert Suarez, disp. 23. sect. 2.

Tom. III.

8. Quæritur tertio, vtrum detur obligatio baptizandi paruulos filios christianorum ante vsum rationis?

Respondeo, quod cum paruuli fidelium in mortis periculo sunt constituti, lex generalis charitatis, per quam tenemur succurrere proximo in extrema necessitate constituto, obligat ad illos baptizandos: at extra casum necessitatis non datur vllum præceptum naturale, vel diuinum baptizandi paruulos ante vsum rationis. Quod non detur præceptum diuinum, probatur: nam non extat in Scriptura, nec colligitur ex traditione, & auctoritate Patrum. Quod non detur præceptum naturale, probatur, nam tale præceptum fundari debet in periculo, ne paruuli moriantur sine baptismo; sed hoc periculum non est morale; ergo sicut quia non adest periculum morale, ne peccatores moriantur sine sacramento poenitentiae, possunt illud differre, ita stando in lege naturæ, potest differri baptismus paruulorum. Datur tamen præceptum ecclesiasticum, non quidem scriptum, sed introductum consuetudine baptizandi paruulos fidelium ante vsum rationis. Quod non detur præceptum scriptum, probatur, nam nulum potest afferri ius scriptum imponens tale præceptum. Quod detur præceptum introductum consuetudine, probatur, nam si quis nollet filios suos baptizari ante vsum rationis, magnum scandalum generaret in omnibus fidelibus; ergo signum est, quod fideles consentant dari obligationem baptizandi filios christianorum ante vsum rationis. Hinc sequitur, quod si parentes sint negligentes, vel inuiti, Pastores ecclesiæ debent eos cogere ad filios baptizandos, imò debent filios christianorum, etiam inuitis parentibus baptizare.

9. Quæritur quarto, vtrum filij parentum infidelium possint, parentibus inuitis, licitè baptizari ante vsum rationis.

Respondeo, quod possunt, vt docet communis sententia, licitè ante vsum rationis baptizari filij parentum infidelium, qui directè subiecti sunt potestati spiritali ecclesiæ, cuiusmodi sunt, qui cum sint baptizati, per apostasiam defecerunt ad Iudaismum, Mahometanismum, aliasque sectas. Ratio est, quia sicut ecclesiæ potest parentes ad fidem seruandam cogere, ac pertinaces etiam morte punire, sic potest eos priuare potestate paterna, quam habent in filios, ac filios eorum ante vsum rationis, inuitis parentibus, baptizare. Si tamen ecclesiæ suo iure vtens tales infantes, inuitis parentibus, baptizet, non debet illos relinquere sub cura parentum, alioquin relinquerentur expòsi manifesto periculo apostasiæ. At non possunt licitè ante vsum rationis, parentibus inuitis, baptizari filij infidelium, qui nullo pacto sunt subditi potestati ecclesiæ, ac iurisdictioni ciuili Principum christianorum, vt docet S. Thomas hic quæstione 68. art. 10. cui nullus theologorum directè contradixit. Ratio est, quia vel filij ta-

Dd 2 lium

lium parentum baptizantur ita, vt per vim auferantur à cura, & subiectione parentum, vel ita, vt relinquuntur sub cura, & subiectione parentum: si primum, fit iniuria parentibus, qui habent ius retinendi filios sub sua potestate; non sunt autem facienda mala, vt eueniant bona: si secundum, fit iniuria baptismo, ac religioni Christianæ, siquidem est moraliter impossibile, vt tales filij educantur sub cura parentum, quin eorum erroribus imbuantur, adeoque sint Apostatæ; ergo &c. Confirmatur ex vsu Ecclesiæ, ex quo colligitur non fuisse Ecclesiæ à Christo datam hanc potestatem, sicut nec data fuit potestas cogendi infideles ad recipiendam fidem. Ecclesiæ igitur per illa Christi verba, *docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* accepit à Christo ius baptizandi quoscunque, seruando ordinem iustitiæ naturalis, hoc est alluciendo illos ad suscipiendum baptismum, doctrina, & prædicatione, non autem peruertendo ordinem iustitiæ naturalis, hoc est cogendo per vim armorum ad baptismum suscipiendum. Proportionaliter habet ius baptizandi filios infidelium, persuadendo parentibus ipsorum, vt consentiant baptismo, & instructioni filiorum, non autem per vim auferendo filios à parentibus.

10. Non obstat, quod vnusquisque potest defendere innocentem ab iniuria, filij autem infidelium patiuntur iniuriam à parentibus impediuntibus, ne baptizentur, & instruantur in fide ad salutem necessariam; ergo &c. Nam falsum est, quod possit quilibet defendere innocentem ab iniuria, quæ solum fit iniuria, supposita fide, faciendo actiones, quæ contineant injuriam contra legem naturæ; alioquin sub prætextu fidei possent fieri innumera iniuriæ contra ius naturale cum magna perturbatione reipublicæ humanæ; sed etiam si parentes impediunt filios, ne baptizentur, faciunt illis iniuriam, tamen faciunt solum iniuriam, supposita fide; ergo non potest Ecclesiæ defendere infantes, auferendo filios à parentibus, adeoque faciendo contra ius naturale parentum in filios. Hinc patet disparitas, propter quam si parentes velint inferre filiis mortem temporalem, filij possunt auferri à parentibus, & tamen cum volunt inferre mortem spiritualem, educando illos in infidelitate, non possunt filij à parentibus auferri. Nam parens volens interficere filium, facit illi iniuriam, præscindendo à fide: at volens filium educare in infidelitate, facit illi iniuriam solum supposita fide.

11. Ex tradita doctrina sequitur, quod si filius parentum infidelium sit in periculo mortis, ita vt non sit spes vitæ, potest licite baptizari, dummodo id non fiat per violentiam, ac cum scandalo infidelium. Ratio primæ partis est, quia eatenus filij parentum infidelium non possunt licite baptizari, quatenus si auferantur à parentibus, fit parentibus iniuria, si relinquuntur sub potestate parentum,

exponuntur manifesto periculo apostatiæ, sed baptizando infantes, de quorum vita non est spes, etiam si relinquuntur, sub potestate parentum, adhuc non exponuntur vlli mortali periculo apostatiæ; ergo &c. E contra non licet baptizare illos cum manifesta voluntate, & scandalo parentum, quia eo sub prætextu religionis fieret parentibus iniuria contra ius naturale. Possunt etiam licite baptizari filij infidelium, qui se iure, seu iniuria iam sunt ita à parentibus separati, vt non sit spes, quod sub eadem potestate sint redituri.

12. Ad baptizandum filium parentum infidelium per se sufficit consensus patris, etiam renuente matre, & consensus matris, etiam renuente patre. Quod sufficiat consensus patris, probatur; nam pater est caput familie, & filius præcipue est sub potestate patris. Quod etiam sufficiat consensus matris, probatur; nam ius maternum est penè æquale paterno, adeoque in casu posito in fauorem religionis & in bonum filij præferri debet iuri patris. Dixi, quod per se potest baptizari, nam si sit periculum morale apostatiæ, baptizari non debet. A fortiori cum alter parentum est fidelis, alter infidelis, filius potest baptizari, statuit Concilium Toletanum 4. cap. 67. & habetur in Cap. Iudæo 28. quæst. 1.

13. Quaritur quarto, vtrum filij parentum infidelium subditorum potestati cuius principum Christianorum possint licite baptizari, parentibus inuitis?

Respondeo, quod filij parentum infidelium, qui subditi sunt potestati ciuili principum Christianorum, non possunt licite ante usum rationis, inuitis parentibus, auctoritate etiam publica baptizari, vt docet communis sententia S. Thomæ, & aliorum contra Scotum in quartum distinct. 4. quæst. 5. quem sequitur Gabriel eadem distinctione, quæst. 2. art. 3. dub. 1. Probatur: nam si baptizarentur ita vt remanerent sub cura parentum, exponerentur manifesto periculo apostatiæ; si à parentibus auferrentur, fieret parentibus iniuria. Si autem dicas, quod posset princeps in poenam infidelitatis eripere filios parentibus, & tradere fidelibus educandos, atque ita baptizare sine vlllo periculo apostatiæ; contra est nam vel princeps punit infidelitatem auctoritate propria, vel auctoritate Ecclesiæ, & non quam minister Ecclesiæ; non potest infidelitatem punire auctoritate propria, quia habet iurisdictionem purè ciuilem, & naturalem, adeoque non potest iudicare de fide super naturali, ac de delictis contra fidem; non auctoritate Ecclesiæ, siquidem Ecclesiæ nullam habet potestatem in infideles, qui cum non sint baptizati, sunt extra Ecclesiam, iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. 5. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, iudicare? Nonne de ijs, qui intus sunt, vos indicatis. Nam eos, qui foris sunt, indicat Dominus.* Confirmatur conclusio ex antiqua consuetudine Ecclesiæ, à qua periculosum esset

esset recedere. Ad Principes igitur spectat subditos compellere, vt Deo obediant in ijs, ad quæ extenditur potestas principis; sed potestas principis vtpotè purè naturalis, non extenditur ad supernaturalia; ergo princeps secularis directè solum potest cogere subditos ad obediendum Deo in naturalibus, non autem in supernaturalibus. Possunt tamen principes Christiani auctoritate Ecclesiæ cogere subditos baptizatos, etiam ad obseruanda quadam præcepta supernaturalia, fidei, & religionis. At cum Ecclesiæ nullam habeat iurisdictionem in infideles, Principes seculares, neque auctoritate Ecclesiæ possunt cogere infideles ad ea, quæ pendent à fide, & religione supernaturali.

14. Quæritur quinto, vtrum liceat dominis Christianis, parentibus inuitis, baptizare filios seruorum infidelium ante vsum rationis?

Respondeo affirmatiuè, vt præter plures antiquos docent Suarez, & Vasquez, alijque recentiores. Ratio est, quia quatenus filij infidelium liberorum baptizari non possunt, parentibus inuitis, quatenus baptizando illos, fieret contra ius parentum retinendi filios sub sua potestate, atque illos instituendi: sed serui non habent ius retinendi filios sub sua potestate, eosque instituendi; possunt enim domini iure dominij filios seruorum suorum à parentibus separare, vendere &c. ergo licet Dominis Christianis filios seruorum infidelium, inuitis parentibus, baptizare. Posito tamen, quod illos baptizent, debent cauere periculo apostasiæ talium filiorum: & quia non sufficienter cauetur illi periculo, nisi filij separentur à parentibus ante vsum rationis; ideo domini baptizantes filios seruorum infidelium regulariter tenentur illos à parentibus separare ante vsum rationis.

15. Quæritur sexto, vtrum infantes in utero matris possint baptizari?

Respondeo, quod vt docet S. Thomas quæst. 68. art. 11. alijque communiter, infantes cum omninò sunt clausi in utero, non possunt baptizari, quia non possunt abluì in te ipsis; ablutio autem matris non sufficit ad baptizandum infantem, qui est persona distincta à matre. At cum non sunt omninò clausi in utero, adeoque possunt in aliqua sui parte abluì, tunc possunt validè baptizari, atque in periculo mortis debent, ita tamen, vt cum non est certum, quod ablutio in tali parte sufficiat, deinde sint rebaptizandi sub conditione. Ad illud Christi Ioan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, dicendum, quod duplex est natiuitas, altera, per quam infans nascitur in utero, sicut fructus in arbore; altera, per quam nascitur extra vterum, cum prodit in lucem. Infans eo ipso, quod est natus in utero, dummodò physicè possit abluì, potest validè baptizari, licet adhuc non proderit ex utero.

16. Quæritur sexto, vtrum amentes possint baptizari?

Respondeo, quod de amentibus, qui nunquam habuerunt vsum rationis, vt docent communiter, sentiendum est sicut de infantibus ante vsum rationis. Amentes, qui post vsum rationis inciderunt in amentiam, si ante voluerint baptizari, & hanc voluntatem non retractauerint, possunt, ac debent baptizari; si ante non voluerint baptizari, vel retractauerint voluntatè suscipiendi baptismum, non possunt validè baptizari. Qui ita sunt amentes in aliquo, vt penè semper, vel aliquando habeant vsum rationis, quoad ea, quæ spectant ad salutem animæ, si velint baptizari, possunt, ac debent baptizari; si non habent voluntatem suscipiendi baptismum, non possunt validè baptizari.

TRACTATUS XV.

De effectibus baptismi, ac de dispositione, & preparatione ad eos requisita, ac de circumcissione.

QVAESTIO CIX.

De effectibus baptismi.

S. Thomas quæst. 69. art. 1. vsque ad 7.

1. **Q**uæritur primo, vtrum baptismus auferat non solum peccatum originale, sed etiam omnia peccata personalia, tum mortalia, tum venialia?

Respondeo affirmatiuè. Hæc conclusio est de fide definita ab Eugenio IV. in Concilio Florentino in decreto ante fidei post vltimam sessionem S. Primum omnium, vbi loquens de baptismi dicit: *Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis.* Licet autem quidam hæretici antiqui, quos secuti sunt Lutherus, & Caluinus, alijque hæretici recentiores, dixerint in baptismi peccata verè non tolli, sed solum radi, tegi, ac non imputari, tamen est de fide peccata verè tolli, idque definit Tridentinum sessione 5. in decreto peccati originalis, cànone 5. dicens: *Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, que in baptismi confertur, reatum peccati originalis remitti neget, aut etiam asserat non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicat tantum radi, aut non imputari, anathema sit.*

2. Colligitur hæc veritas ex pluribus locis Scripturæ. Ezechielis 36. dicitur: *effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris;* sed hunc locum de aqua baptismi intelligunt Hieronymus, Theodoretus, Cyprianus Epistola 70. & 76. Athanasius in Epistola ad Serapionem, & alij; ergo baptismus habet vim emundandi ab omnibus inquinamentis, ac peccatis. Paulus ad Romanos 6. dicit; *quicumque baptizati estis, in morte ipsius baptizati estis;* & concludit ita, & vos existimate mortuos vos esse peccato, viuentes autem Deo, in Christo Iesu Domino nostro; ergo per baptismum